ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Ad Silium hæsit here oratio mea, perillustris Dne, quantum assequor memoria. Sumus nunc in ejus tertio, et perpetua admiratione Scaligeri Cæsaris (a quo cornicula Poëtarum dici ineptissima perpetuo audit) ausim dicere nimiæ severitatis; nec nimius in videndo Dausquio, qui consulem vatem suum ita suspicit, ita prædicat, ita fert cælo ut de principe inter viros poëtas loco, hactenus sine controversia habito, in dubium veniat, apud illum quidem, Maro miser. Neq; per tunc Heroa cecinerit quo minus næniam canat exsequijs illibatæ, intactæ hucusq; authoritati suæ Mantuanus olor. at Silium Scaliger in Hypercritico, si bene memini, postremum bonorum Poëtarum existimat, quin ne poëtam quidem. negat nervos, negat numeros, negat spiritum habere. totum hærere, trepidare, vacillare, ubi audet, cadere statuit; adeo vero ab omni venere alienum, ut nullum invenustiorem. Acute dictum unum modo notat inventum sibi, quod oblitus sum. Denique Scholasticis declamatoribus hoc relicto, ad meliores et meliora transit. Quid censes, quid jubes, relinquamus ~~et~~ nos? non arbitror. et, ut Dausquio nullus accedo, quanquam non ego is sum, qui calculum interponam, malo cum remissius vel offendentibus vel prementibus Italicum, malo tecum, qui hunc post Maronem cujus imitator est sane Sedulus, nec (quantum exprimere sit illud extra omnem humani ævum positum ingenium) infelix, cum Græcis, in quibus esse amat (nam passim ἑλληνίζειν manifeste non ignoras) ordiremur et arma quibus coelo se gloria tollit Aeneadum, patiturq; ferox Oenotria jura Carthago, non sine causa voluisti, vel errare vel judicare, et dent veniam Illustrissimi Scaligeri manes, si VNVS ES MIHI INSTAR OMNIVM, si voluntati tuæ pareo, si judicio acquiesco. Tu quoq; ignosce quæso tam familiariter garrienti, et hoc ausum cogita fiducia tuæ facilitatis, In qua, cum me tam benigne soleas amplecti, velis, nolis, hoc reperisti incommodi. Vale Perillustris Domine,

Scribebam Hagæ Com. III. NON. Aug. CIↃIↃCXLI.

Ampl:mæ tuæ
Servus humillimus

Henricus Bruno.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 35
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2805a

Mijn Heer

Mijn Heere van Zuylichem &c.

Met Copye

LUGD. BAT.
BIBL.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 35
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2805a